

adfinitate coniunctus: filiam M. Antonii fratris eius habuerat in matrimonio.

Illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis § 29. repetundis.

5 Locupletatum interversa pecunia p. et spoliatis etiam publicanis Vatinius dicit, ut ex paupertate ad summas divitias perveniret. Non sine quadam ... in C. Caesarem, cui acceptissimus erat, eo, inquit, *anno* ditatus est, *quo lex de pecuniis repetundis lata est*, ab ipso scilicet Caesare:
10 ut videatur et ille impudenter Vatinius favere contra leges etiam Iulias committenti.

Cui totiens maledicas, quotiens te illi adfinem esse dicis.

Propter matrimonium videlicet Antoniae, quam Vatinius
15 habuit uxorem. Nec ignoramus C. Caesari fuisse quandam cum illis adfinitatem; quippe M. Antonius, qui postea triumvir fuit, matre Iulia censebatur, L. Caesaris sorore.

Ut in epulo Q. Arrii, familiaris mei, cum § 30. toga pulla accumberes.

20 De hoc et supra dictum est: epulum dedisse Q. Arrium, cui epulo solus Vatinius atratus, hoc est cum toga pulla interfuerit, cum solerent adusque tempus balnearum atrati esse, postea vero candidiorem habitum sumere. Sed occurrebat illud, ut Vatinius diceret eapropter se in tristiore
25 habitu perseverasse, ne ratae viderentur supplicationes, quas decerni postulaverat C. Pomptinus rebus in Gallia prospere gestis, cum etiam triumphum peteret, quem honorem obtinere non potuit impredientibus amicis C. Caesaris, qui omnem laudem pacis atque victoriae studebant ad neminem
30 alium nisi ad Caesarem pertinere. Igitur ne Vatinius hoc prodesset ... idcirco se atratum fuisse, ne supplicationes nomine C. Pomptini ratas habuisse et festa facie religiosas